




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2161 4° (LN 1408 4° copy 2)




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2161 4° (LN 1408 4° copy 2)




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2161 4° (LN 1408 4° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2161 4° (LN 1408 4° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2161 4° (LN 1408 4° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 2161 4° (LN 1408 4° copy 2)

765


N^o 2161.




M. H. J. J. J.

=LN 1408 ex. 2







DECORATIONE,
ET DE LAVDE,
POTENTISSIMI
PRINCIPIS: DOMINI
CHRISTIANI

QUARTI:

REGIS DANIAE, NORVEGIAE,
VANDALORVM ET GOTHORVM: DV-
cis Slesvicj, Holsatia, Stormariae & Dit-
mariae: Comitibus Oldenburgi &
Delmenbor-

stij.

CARMINA
IOANNIS SADOLINI

T. L. DAN.



HAFNIAE,
IMPRESSIT LAURENTIVS
BENEDICTVS.



Christianus Quartus, ætatis

sue Anno 20. Coronatur, & in Regem con-
secratur, A. D. 1596. Die
29. Augustj.

* * *

PROLOGVS.

REGI Potenti, Patræ dulcissimæ,
Sanctoq; Regni DANIÆ Senatuj:
Fidis amicis, & modestis cœtibus,
Qui proluunt se fonte Pegaseio,
Hortisve ludunt floridis Libethridum:
DEO iuvante, & Gratjjs faventibus,
Isthæc Poëta consecravit carmina.
Quæ CHRISTIANO FRISIO clarissimo
Vatum Patrono, candidisq; cordibus,
Sunt visa digna comprobari ab omnibus,
Qui DANIÆ non invident suum decus,
REGIS benignj nec resistunt laudibus.
Id iudicandum, judicamus liberè,
Ne Momus erret in suis calumnijs:
Nèu' garriendo se fatiget Zoilus.



REGNA TOTENS FIRMAT PIETAS REGEMQUE TVETVR.



DE CORONATIONE
OPTIMI, FORTISSIMI, SERENISSI-
MI DANORVM, POPVLORVMQUE
BOREALIVM, REGIS:
D: CHRISTIANI
QVARTI.

CARMEN
IOANNIS SADOLINI
P. L. DANI.

Plerides Musæ, magni IOVIS atq; fidelis
Mnemosynes Natæ: si vos iuuenilibus annis
Pectore sincero colui, tandemq; virilj
Vos etate sequens adamaui, dicite carmen
Non modò incundum, sed & vtile: nanq; laboro
Delectare animos, simul & prodesse docendo,
Dùm patriæ decoro laudes, & Regis honores.

At veteres, forsan, retinetis mente dolores
Ob casum Diui FRIDERICI, REGIS amatj
Fatalem? siquidem, REX ille benignus, & omni
Effulgens pietate, DEO & mortalibus æquis

A 2

(Dura

DE CORONATIONE

(Dum vixit) sublimis erat, cunctisq; probandus
 Religionē, fide, pacto, dulcedine morum,
 Alloquio miti, donis, & qualibet arte
 Quā potuit pressos miseranda clade leuare
 Ciues, aut alios venientes Orbe remoto:
 Tantum pondus habet Regali in pectore Virtus.

Vos etiam, ô Nymphæ, patrio complexus amore,
 Vestros cognouit cantus, vestrumq; Poëtam
 Ornauit lauro, titulis, insignibus, auro,
 Quamuis inuitum, nec munera tanta petentem,
 Sicut nouistis: Facti monumenta peracti
 Non rapidus Boreas, non turbidus auferet Auster,
 Non tempus; non flamma vorax; non dira procella
 Irati pelagi; non vis damnanda Barathrj.
 Candida nam Regum decorat DEVS optimus acta,
 Fama nec Heroum tenues vanescit in auras.
 Et, superi si sunt; si Diuim æterna potestas,
 Post gelidam viuuit mortem sanctissima Virtus.
 Nec pietatis honos mendaci voce malorum
 Opprimitur, quanquam premitur quandoq; superbij
 Dæmonis afflatu, Stygijq; furore Tyrannj.

Mens igitur Diui FRIDERICI gaudet Olympo,
 Nobilior gemmis, Arabum preciosior auro,
 Splendidior stellis rutilant quæ nocte serenâ
 Sydera maiori superantes luce minora:
 Regis enim sancti vincit mens cuncta nitore.

Post

Post obitum tanti REGIS, virtute vigentes,
 Bis bini Proceres, viduati munia Regni
 Curantes, ampli iuxta decreta Senatus,
 Cuncta gubernabant, & singula, iure decenti:
 Donec legitimos ætatis tangeret annos,
 Ac aptus Regno fieret pulcerrimus Heros,
 Quem Pater elegit viuens, totusq; Senatus,
 Et populus, REGEM, Patris post fata futurum:
 Quem penes in Regno staret suprema potestas
 Auxiliante DEO, qui Regna & donat & aufert
 Regibus, & mira firmat ratione Monarchas,
 Quorum mens recta est, & plenum numine pectus.
 Ergò multorum cessat dominatio: quippè
 Sol Cælo est vnus, REX Regno fulgeat vnus,
 Fortis & egregius, populi qui commoda quærat
 Tempore tam belli, quam lætæ tempore pacis:
 Consilijsq; bonis animum præbere benignum
 Nôrit, & à falsis auertere vocibus aures.
 Nam consultores varios fert inclyta tellus,
 Tellus prudentium & fatuorum sedula nutrix.
 Sicut enim omnigenas profert amplissimus hortus
 Herbarum stirpes, quàm gratas, tamq; nocentes:
 Sic terrarum Orbis mortales gignit amica
 Hos linguâ celebres, illos tetri oris hiatu
 Spirantes fœdam Vafri Cacodæmonis auram.
 Nam rarius Pylades, & Iônatha rarior illo est:

DE CORONATIONE

*Iherites passim, passim grauis instat Iudas:
Quod nouisse salus populi est, & gloria Regum,
Qui florere volunt & honestum ducere nomen.*

*Ista equidem monuisse sat est: Iam cepta sequamur
Propositi nostri: nec longa ambage moremur.*

*CHRISTIANVS Quartus, FRIDERICO REGE parente,
Matreque Regina SOPHIA, satus inclytus Heros,
Regia sceptris sibi Patrum decreto, & honesto
Consensu Procerum, populiq; fauore potentis,
Sumit: Et ingenij varijs virtutibus edit
Argumenta boni: Nam dicta & splendida facta
Magnorum produnt animos & pectora Regum,
Nobiliumq; virum: stimulos quibus emula Virtus
Addit, vt Herculeas conentur vincere laudes,
Si superi non impediunt, nec fata resistant.*

*Euge potens Princeps, REX euge, virentibus annis
Crescens: namq; tibi nascenti fulgida Caelo
Sydera riserunt, ipsa admirante Minerua,
Vraniam placidis quæ claram amplectitur vlnis
Præ reliquis Nymphis, licet omnes ore modesto
Emineant, omnesq; DEI bonitate fruantur:
Et dulci ambrosia, & cœlesti nectare viuant.*

*Fulminei Martis cedens è sede diurna
Principium Tauri radioso lumine Phœbus
Lustrabat rutilans: Aries dux præuius ibat
Raptus in occasum, vasti comitante Nepote*

Facuna

INCLYTI REGIS.

Facundo Atlantis: sublimem clara fouebat
 Virgo Iouem: Gemini Martem Veneremq; Videbant
 Complexu iunctos facili: Tellure sub ima
 Saturnum Dominum proprium Capricornus, at ipsam
 Fusor aquæ Lunam Reginam noctis habebat.

Quæ tibi fatidicæ tunc prædicere sorores,
 O REX, Dij nõrunt: quædamq; docere periti
 Possunt Astrologj: quos DANIA nostra benigno
 Iam fouet amplexu, claros & diuite magni
 Ingenij cultu, & censurâ mentis acute,
 Et calamo arguto: sed cuncta recludere vulgo
 Non decet ignauo, quæ sunt secreta tacenda.
 Vulgus enim ratione caret, nec iudicat aptè
 De dictis Vatum: tanta est dementia plebis.
 Sed quicumq; sapis, monitus nec spernis amicos,
 Consilio recto sequitor quæ sidera spondent
 Mota DEI arbitrio: nam non temerè astra nitescunt,
 Nec cæco stellæ ductu surgunt ve cadunt ve:
 De rebus siquidem sua dant documenta futuris,
 Præcipuè, vt fatis dubijs occurrere discas
 Pectore prudenti: siquidem prudentia seruat
 Reges & populos, vaga ne fortuna resistat
 Egregijs hominum studijs, curisq; Thaliæ
 Eximijs, quibus ornatur Respublica quæuis.

Hos mihi ludenti versus, arrisit Apollo
 Horto in FRISIACO, quem celsis ædibus, atq;

Orna

DE CORONATIONE

Ornatum arboribus lætis videt Hafnia nostra:
 Hafnia diues opum, Regalis & Hafnia sedes,
 Est vbi Pæridum domus, & domus alta Mineræ,
 Quam Reges quondam decorârunt sumptibus amplis:
 Quam quoq; IOANNIS FRISI suprema voluntas
 Munere perpetuo decorat, post fata, quotannis.

Dum loquor, auditur sonitus clangore tubarum
 Clarus, & ingeminat sonitum resonabilis Echo:
 Tympana mota sonant argentea: mœnibus altis
 Vis tormentorum sistens, volitantia mittit
 Pondera, sulphureis incenso puluere flammis:
 Vnde fit, vt ruptis, valido ceu turbine, claustris,
 Non secus ac cælo, metuenda tonitrua surgant.

Persimili pompa Iunonem in nubibus ardens
 Iuppiter accedit: Diui Diuæq; potentem
 Mirantur REGEM, Maiestatemq; verentur:
 Nec tamen insulso, stulto de timore, fatiscunt.
 REX etenim constans, clemens, prudens, & amicus,
 Non terrere suos gaudet, sed amare laborat:
 Obsequiumq; suo REGI præstare clientes
 Debent egregij, qui subsunt legibus æquis,
 Mandatumq; DEI sincerâ mente sequuntur.

Et nunc tempus adest, quo dulci Dania plausu
 Insurgit: nunc vrbs, caput huius amabile Regni
 Hafnia suscepit varijs regionibus ortos
 Insignes Dominos: alio quos tempore dicam,

Si

Ecce, coronandus REX tendit ad ardua templa,
 Facturus pia vota DEO, de more vetusto
 Gentis honoratæ. Pietas ea splendida firmat,
 Reges ac Populos, & belli & tempore Pacis.

Ante ipsum Regem Regalia signa ferebant
 Quattuor egregij Proceres, virtute micantes,
 Munere fortunæ dites, & honore potentes,
 Inuicti ornatis auro byssoq; caballis.

VOLCHENDORPHORVM veteri de sanguine natus,
 Compositam tenuit gemmis auroq; CORONAM:
 FRISORVM exoriens è stemmate nobilis Heros,
 SCEPTRVM habuit mira fabricatum lege Deorum:
 Stirpe satus celebri MVNCHORVM fortis alumnus,
 ENSEM sustinuit Vulcano & Marte politum:
 Magnanimus Dominus clara de gente BRAHORVM
 POMVM auro fulgens dextrâ monstravit honesta.

Dulce erat Heroas tales tantosq; videre
 Agmine pomposo felicem ducere REGEM
 Ad sacra templa DEI. Lux ô memoranda Poëtis.
 Insonuere tubæ (velut antè) sonumq; dedere
 Tympana festiuum: præcedens Musica turba
 Edidit harmonicos concentus auribus aptos
 Emunctis, quos & laudans Tritonia Pallas
 Sapiùs audiri iussit, repetiq; frequenter.

Ponè sequebatur Mater generosa SOPHIA
 Fortuna gaudens Nati: sedet illa venustis

DE CORONATIONE

Iuncta suis Nymphis, aurato splendida curru.
 Curribus auratis Nymphæ mox inde sequuntur,
 Ingenio, forma, stirpe & dulcedine morum
 Illustres, clari quas progenuere parentes.
 Hic Danaë, Europe, Thetys, Hefione atq; Diana
 Esse videbantur: tanto viguere nitore
 Matronæ & Nymphæ, Charitum flos atq; propago.

Hic aliquis præsens, non prorsus mente retorta
 Corneus, aut stupido voluens sub pectore plumbum,
 Diceret: Esto Venus procul hinc: retinere memento
 Et Cypron, atq; Paphon, Gnydon, & tua cætera regna.
 Mille etenim Veneres dabit Hafnia, mille Mineruas.
 Danorum cunctas si quis modò cerneret Vrbes,
 Tale verecundo verbum depromeret ore.
 O felix Regnum: Iuuenes tu gignis honestos,
 Ac fortes Equites, & Ciues pectore claros:
 Et quot Hamadryadum flores generantur in horto,
 DANIA tot bellas dat fortunata puellas,
 Quæ Lunæ lumen superant & Solis acumen,
 Si tamen æthereis fas est componere rebus
 Res hominum: quid non? Hominis pars altera, mens est
 Lumine præcedens diuino quælibet astra.

Innumeri pedites, etiam alto stemmate natj,
 Ante Equites & post prodibant agmine longo,
 Ordine sed pulcro: gemmis radiantibus omnes,
 Demissisq; togis, puriq; monilibus aurj

Egres

Egregiè ornati. Quòd si non candida nossem
 Pectora amicorum, jurarem protinus ipse
 Æthereas nostris stellas incedere terris,
 Terrestrésue deos Iouiali luce micare.

Hanc equidem vellem pompam describeret autor
 CRAGIVS Historiæ fidei, Iurisq; peritus
 Doct̃or, & Aoniâ multum versatus in arte:
 Vir clarus, Virtute potens, & noster amicus.
 Cuius si similes centum donaret Apollo,
 Patria fulgeret majori nostra nitore.
 Sed sua non vna diffundit Iuppiter Vrna
 Munera: nec cuncti, quæ sunt bona, scire laborant:
 Sæpè etenim interpres malus, optima quæq; reuellit:
 Quod quicumq; videt, sapit ille, nec inuidet vlli.

Missæ sed hæc sunt: siquidem subit aurea templa
 Pectoris excelsi Rex, & fortissimus Heros
 CHRISTIANVS tali vocitatus nomine Quartus
 A CHRISTO & IANO. Nam Christus nobile sydus
 Humanæ est vitæ: læpido paradiçmate Ianus.
 Admonet vt bello transactò, dulcia Pacis
 Fœdera firmemus: nam finem martis honestum
 Legitimi Pax ipsa petit, desiderat, optat.
 Pax legum genitrix; Pax Religionis amica:
 Pax, quæ laurigeras releuat miserata Camænas,
 Quas Bellona ferox & squalida turbat Erynnis
 Nullo respectu Phæbi, nullòue Mineruæ.

DE CORONATIONE

Intuitu doctæ. Sic pessima sæpè resistunt
Monstra bonis genijs, quos vis tamen inclyta Pacis,
Auxiliante DEO, diuino extollit honore.
Fœdere propterea Pacis FRIDERICVS ab ipso
Deduxit nomen: sibi qui sapienter & aptè
Reginam SOPHIAM (sapientia dicta Latinis
Hec est) felicitis thalami sociavit amore.
Vnde suum ducit REX illustrissimus ortum
CHRISTIANVS Quartus, pius, ingeniosus, honestus,
Pacificus, prudens, fortis. Quia nomen & omen
Concurrunt, niueum Regis monstrantia pectus.

Sed quid nunc agitur? sacra quid in Æde paratur?
Musica dulcisonos templo dant Organa cantus,
Artificis docti digitis pulsata peritis,
Cantores (Claræ quos erudière puellæ)
Magni & maiores, parui simul atq; minores,
Harmonico factas blando modulamine voces
Edunt, & miro concentu pectora mulcent
Præclarorum hominum, quos huc ea pompa vocauit.

Petrus Vinstrupius Doctor Præsulq; fidelis
DANORVM in Regno, sacras stans pronus ad aras
Vota precesq; DEO soluit: benedicit & ipsi
Regi, qui noua Sceptra capit, regimenq; futurum.

Ad latera altaris gemini Superintendentes,
Vt nunc ætatis nostræ pro more vocantur,
Emituère: vnus, Scanorum est missus ab oris

Ma.

Magnus ut ingenio, sic dictus nomine Magnus.
 Alter Iacobus Fyonum regione profectus,
 Ambo animo claro, niueæ Pietatis & ambo
 Munere præstantes: tantum valet ampla ^{niueæ} ~~niueæ~~
 Gloria Calliopes, tantum Virtutis honor.

Horum in conspectu radiabat Regia sedes
 Principis ornandi: REX auro pulcher & Ostro,
 Et sancti vultus speciosa luce, nitebat.

Non procul hinc Regis mater, diuina SOPHIA
 Enituit: Natum quæ contemplata potentem
 Firmari patrio solio, pia vota peregit
 Pectore sub tacito, Christi quæ probauit amorem.
 Hic etiam Regis fratres, bellæque sorores,
 Conspecti, veluti stellæ micuere rubentes.
 Principibus, Ducibus, legatis, atque modestis
 Nobilibus, dignus locus assignatus, habebat
 Magnificos Dominos. Proceres, Regni quæ Senatus
 Mirifico ornabant structum bene lumine templum.

Vinstrupius verò, ceu summus Episcopus, ardens
 Zelo & amore DEI, scripturæ dogmata læta
 Diuinæ exposuit, cætum templatus amicum
 Nobilium Procerum. Documenta salubria promisit,
 Hortatus cunctos ad Religionis amorem
 Rectè tutandum. Depinxit munia Regum,
 Officium quæ viri, cui contigit alta potestas
 Vrbes, & populos, & castra, forum quæ regendj

Iure

DE CORONATIONE

Iure & Iusticia, veluti DEVS imperat ipse.

*Non popularis erat sermo, non fabula vana
Pectoris ignaui: siquidem vir amabilis ille,
Ore verecundo felix, & voce disertus,
Eloquio grandi deprompsit verba Latina,
Ad Regem atq; Duces, proceresq;, Virosq; peritos
Romane lingue. Tum demum Numine dante,
Multiplici patriam decorauit lumine linguam,
Floribus & multis, Danorum more loquutus,
Non secus ac Nestor Græcè, Cicerone Latine,
Quorum deducta est oratio, fluminis instar,
Quod non per salebras sed molli labitur vnda:
Quos ambos vnus sequitur ratione loquendj.
Callet enim linguam Latiam, linguamq; Pelasgam,
Nec non Ebraeam: qua pulcra lege trilinguis
Dicitur, & doctus ter magna mente tripector:
Tantum nobilior quam Geryon iste tricorpor,
Quantum mens sapiens valido præ corpore pollet.
O quales, quantosq; viros industria reddit,
Multos cum iuuenes demens ignauiam perdit.
Ille sacer Præsul, sancto mandante Senatu,
Accepta ex arâ, Regi Regalia signa
Protulit, ac ipsum dictis compellat amicis:
Optime Rex, cui Rex excelsi summus Olympj
Contulit exortum, fortunam, stemmata, nomen,
Ingenium, mentem, doctrinam, robur, amicos,*

Et

Et bona cuncta, bonis quæ Regibus apta videntur.
 Ille tibi clemens, tam clara insignia donat,
 Vt præsis prosisq; æquo moderamine legum
 Regnis & populis: fragranti hic vngvine Regem
 Te modò constituit mollitum: Candida Virtus
 Et pietas animi, tua sit fragrantia: quippè
 Virtus & Pietas summa est opulentia Regum,
 Cunctorumq; hominum, sine qua fit nemo beatus.
 Hæc autem gaza est fidei dulcissima merces,
 Fructus & eximius nullo periturus in æuo.
 Ergò tuo capiti, datur hæc, REX magne, CORONA
 Obryzo fulgens auro, gemmisq; venusta
 Diuersis. claro niteat tua dextera SCEPTRO:
 Auro conspicuum teneat manus altera POMVM
 Eximij referens Regni formam atq; figuram:
 ENSIS adaptatus lateri perterreat hostes,
 Sitq; bonis animis tanquam defensio leta
 Turbas aduersus reprobas, hominesq; feroces,
 Optata vt felix Ecclesia pace fruatur,
 Floreat & placida, Respublica nostra, quiete.

Hæc ait: intentos oculos, atq; ora tenebant
 In Regem Heroës: qui grati lumine vultus,
 Visus erat lucem radiantis vincere Phæbj.
 Antistes verò tensis ad sidera palmis,
 Talia fundebat deuoto pectore verba.

DE CORONATIONE

O DEVS, ò Cæli, terræ, pelagiq̄ creator:
Spirituum Princeps, hominum Pater, optime Regum
Fautor & ornator: rege nostri pectora Regis
Consilij ratione tui, regat vt sua Regna
Legibus atq̄ fide recta, miserosq̄ benignè
Erigat, & viduas tueatur iure potenti,
Pupillosq̄ iuuet paruos, reprimatq̄ rebelles,
Iniustosq̄ viros, qui fraude, doloq̄ modestos
Perturbant homines, & vi grassantur iniqua.
Dulcia pacifico clementer tempora Regj
Quæsumus extendas, vt bella cruenta fatiscant
Pace vigente bona. Sacra templa, scholæq̄ nitescant:
Incresecatq̄ tuo, plebs & Respublica ductu:
Ordinibus cunctis adsit tua gratia: nec nos
Impediat veteris vis insidiosa Draconis.
REX verò noster, te prospiciente, nitescat
Saluus & incolumis, per plurima tempora vitæ:
Totaq̄ Progenies, & Regum pulcra propago,
Tuta sit, & Regem veneretur, ametq̄ potentem:
Sic Pater omnipotens cum Nato & Flamine sancto
Vnus & æternus DEVS, & ter maximus idem,
Tantis pro meritis laudaberis omne per æuum.

Plura equidem in templo tunc dicta & facta fuere,
Quæ me prætereunt: memori nec pectore cunctj
Cuncta tenent: Omnes nec donat Iuppiter artes
Omnibus. Hic felix Orator clara diserto

Ore

Ore sonat Regum & populorum gesta: sed ille
 Ætherei excelsi repletus lumine Phœbi,
 Hæc eadem pandens sublimia carmina fundit,
 Grata DEO, pergrata viris: me Musa locavit
 Non inter summos, minimos non inter alumnos
 Palladis auricomæ: medium statuere Camænæ,
 Ut patriæ laudes cantarem voce modesta:
 Eximiosq; noui decorarem REGIS honores,
 Quo poteram pacto: nec enim maiora requiro,
 Conditione mea contentus, & omnibus æquus,
 Nullum contemnens, homini non inuidus vllj,
 Inuidulos quamuis multos hæc proferat ætas.

Finitis sacris vbi concio læta soluta est,
 Harmonicosq; sonos cantores ritè dedissent
 Diuersis vocum modulis: tunc ære cauato
 Signa dedere viri, sistrisq; tubisq; micantes:
 Turba frequens hominum gaudent hoc REGIS honore.

Præcedunt pedites (velut antè) Equitesq; potentes,
 Læto animo, cultu festiuo, atq; ordine pulcro
 Cernendi: Cunctos inter celeberrimus Heros
 Heroas, REX vectus Equo generoso & alacrj,
 Splendidus apparet SCEPTRO & Diademate: Solem
 Vincere visus erat radiosi lumine vultus,
 Vestibus auratis, diuinæ munere formæ,
 Formosis oculis, aspectu grato & amico.
 Quattuor Heroës Regni, virtute potentes,

DE CORONATIONE

Gestabant totidem tornatas arte columnas,
In quarum (visu iucundum) parte suprema
Tegmen erat puro pansum radiante metallo.
Tegmine sub tali, REX pingua dorsa caballi
Pressit fortis Eques: studio qui fulget equestrj
Bellorophonte prior, maior quoq; germine Lædæ.

Marchio, Bremensis, proceres, dominiq; sequuntur,
Magnanimiq; Duces: Regniq; Senatus, & alta
Nobilium nati iuuenes è stirpe Parentum.

Quanta Ducum series? quàm nobilis ordo virorum?
Quos Phæbus, quos Pallas amat, quos pulcra Diana.
Hic ego CHRISTIANVM Frisorum stemmate natum,
Et LINDENNOVIVM celebri de gente IO ANNEM
Conspiciens, tacito voluebam dulcia corde
Gaudia: & ad Cæli conuexum lumina tollens
Paucula verba dedi, Numenq; in vota vocauj.

Summe DEVS, Vatum miserorum prouide fautor,
Afflictos qui mitis amas, releuasq; iacentes,
Et mærore graui cumulatos: hæc mea vota
Suscipe: & has animas caras, dulces & amicos
Custodi incolumes, multosq; tuère per annos.
Nam fera tempestas, vbi me turbasset & ira
Horrendi pelagi, rupta rate, protinùs illj
Porrexere manus inopi, prorsusq; relicto,
Auxiliatrices, & opem præstabat vterq;
Vt bonus Alcinous miserandum iuuat Vlysssem

Iactas

lactatum maris infidi crudelibus undis.
 Pro quibus officijs, **DEVS** ò ter maxime, claros
 Hos orna proceres, multis & honoribus auge,
 Vt miseris porrò mortalibus auxilio sint,
 Quos premit ira feri Saturni, diràve Martis
 Indomiti rabies, Venerisve dolosa potestas,
 Neptuniq; furor violentus. Quippè probatos
 Error sæpè viros fallit: sed crimina turbæ
 Sectantur reprobæ: non est tamen exitus idem.
 Error habet veniam: comitantur crimina pœnæ,
 Ni fiat prudens fatuæ correctio culpæ.
 Nam nisi me fallit rectæ sententia mentis,
 Rebus in aduersis, melior confessio sancta est,
 Quàm florente statu rerum, turgere superbo
 Pectore: Namq; **DEVS** fastum condemnat inanem,
 Et iuuat afflictos animos, mentesq; modestas.

Sic ego, sed tacitus, ne quis mea dicta notaret,
 Inq; malam partem torqueret candida verba.
 Nam multis est lingua procax, & pectus iniquum:
 Et pauci gaudent hominum virtute piorum.
 Adde quòd & fatuos reputat gens stulta Poëtas,
 Quos tamen antiqui Reges habuère in honore,
 Eximijq; Duces, quando aurea secla fuerunt.

Ergò vecli Equites, Pedites juère decentj
 Ornatu insignes, gemmisq; auroq; nitentes.
 Et **REGINA** decens, mater castissima **REGIS**,

DE CORONATIONE

Ceptum carpit iter, curru sublimis operto,
Sic tamen vt populo posset spectante videri:
Quam Nymphæ comitabantur, celebresq; Napææ.
Hanc si progeniem nescires germine natam
Humano, certò reputares curribus altis
Sidera clara vehi, cœlo delapsa sereno:
Tanta etenim nitidis rutilabat gratia Nymphis,
Tantus honos formæ: maior tamen omnibus vna
Pectore, fortuna, vultu, Regina SOPHIA.

Hæc SOPHIA est, cui se fœcunda Lolandia subdit,
Quamq; suam Dominam celeberrima FALSTRIA dicit,
Vtraq; diues opum, pecorum, sylvarum & agrorum
Insula: quas ambas, vrbes, pagiq; frequentes,
Atq; arces decorant, ciuesq; boniq; coloni,
Ac alij quos aut genus, aut doctissima Pallas
Reddidit illustres, celsoq; in honore locauit.

Ista ego quid refero? quia REGIS gloria magna est
Cernere dilectam genitricem, munere Diuum
Felicem: matris generosæ maxima laus est,
Progenuisse bonam sobolem & virtutis amantem:
Et decus est Regni Concordia leta potentum,
Cum contrà perdat multos Discordia, quorum
Instabilis mens est, & cordis praua voluntas.
Quæ mala dum reprimunt Heroës pectore fortj,
Pax oritur prudens, Pietasq; refulget amica,
Grata DEO, iucunda viris, accepta Camænis.

REX

REX ubi munitam nunc peruenisset in arcem
 Principibus, Ducibusq̄, suis & iunctis amicis,
 Confestim incenso proficiscens puluere flamma,
 Pondera multorum crepitantia tormentorum
 Expulit, effecitq̄, sonos mira arte tonantes,
 Ut tonat aethereos emittens Iuppiter ignes.

REX verò illustris, positus iusto ordine mensis,
 Exceptos socios dapibus, vinoq̄, refecit.
 Inter erat Regis mater generosa, & honestæ
 Nobilium uxores, & Nymphæ sanguine iunctæ
 Daniadum REGI, & multi, multaq̄, potentes,
 Quos omnes **DEVS** ipse suo sub pectore claudit.

Tendebant Equites ad diuersoria nota,
 Hospitiumq̄, suum Pedites petiere per urbem
 Passim dispersi. **REX** præbuit omnibus ipse
 Regales escas, præclaraq̄, dona Lyæ.
 Nève quis aut esca, pauper, potu'ue careret,
 Claro sub Cælo datus est cibus, & data vina,
 Qualia Francigenæ mittunt, aut accola Rhenj:
 Ergò foro Ammagrio fons est magna arte paratus,
 Per cuius venas Bacchi fluxere liquores
 Prædulces sapidi: quibus extinxere cateruæ
 Communes, linguæ affectus sitientis iniquos.
 Et quia fons pulcris formis splendebat, & auro
 Illitus insigni stabat, pellexit ut haustus
 Ingentes pleno plebs Bacchica summeret ore.

Non

DE CORONATIONE

Non procul hinc, dapibus constructa culina coquendis,
Visa erat: hic pinguis nutrito corpore taurus
Maectatus, leporum membris, volucrumq̄, repletus
(Aluo deiecta ac extis) fuit assus, & arte
Conditus varia: Qui verò præfuit assæ,
Archimagyrus erat: sed cætera turba, ministrj.
Pars in frustra secant assati terga iuencj,
Pars populo apponunt, & dulcia fercula promunt
Ignotis, notisq̄, viris discrimine nullo.
Sunt satiati omnes dapibus, potuq̄, refectj,
Namq̄, taberna fuit plena, & fœcunda culina,
Ex quibus ad cunctos, ea copia fluxit egentes,
Et Bacchi & Cereris, largi de munere REGIS.

Lux ea sic abijt, grato celeberrima luxu,
Et strepitu insignj, totam gens læta per urbem
Edidit argutos modullos, psalmosq̄, venustos:
Tum passim Citharæ, iuncta testudine dulcij
Dulcibus insonuere modis: nec fistula Panos
Defuit Arcadici, nec Apollinis aurea plectra.
Formosi verò iuvenes bellæq̄, puellæ
DANORVM veterum pro consuetudine prisca,
Et Germanorum, & Gallorum more recepto,
Musarum ad numeros, varias duxere choreas.

Interea doctiq̄, senes, iuvenesq̄, modestj
Semoti procul à turbis, parceq̄, bibentes
Libera mellifluis lenibant pectora verbis,

Inq̄

Inq̄ vicem dulci sese sermone fouebant,
REGIS Danorum recitantes nomen & omnia.
 Inclyta Fortuna quidam sonuere potentis
 Munera, diuitias, & opes, multos & amicos,
 Corporis haud pauci dotes cecinere venustj,
 Robora membrorum, speciosa fulgida formæ
 Dona, quibus possent homines superiq̄ moueri.
 Pars bona Virtutes animi, mentemq̄ serenam,
 Iudiciumq̄ bonum, bona ceu Cœlestia, laudans
 Extulit ad cœlum generosi nomina **REGIS**.

Talia iactabant omnes & voce polita
 Et sensu arguto, velut assuetudo requirit
 Doctorum Vatum, quibus aspirauit Apollo
 Æthereæ robur mentis, sensumq̄ profundum
 Pectoris, atq̄ animi sinceri lumen acutum.

Ipse ego tunc mota digitis testudine, cantum
 Qualemcunq̄ dedi, fidibusq̄ atq̄ ore, Camœnas
 Exercens: verum sententia carminis hæc est.

Summe Pater, cuius moderamine cuncta geruntur
 In cœlo, terra, pelago: tibi pectore grates
 Toto ego soluo lubens, quod Danica regna tuerj
 Nunquam desistas. Nam nunc quoq̄ lumine cernens
 Nos æquo, nobis **REGEM** fortemq̄ bonumq̄
 Donasti, per quem Leges & iura nitescant
 In Regnis, quæ sunt septem subiecta Trionj,
 Circius & Boreas validis .bi viribus instant.

D

Aurea

Aurea sub tali decurrere Principe possunt
 Secula : sub tali potis est Pax aurea REGE
 Constitui, si tu dederis, DEVS optime, vires,
 Fortunamq; bonam, nec candida vota repellas.
 Sed pia vota probas DEVS, & das Regibus ortum,
 Das incrementum, tua qui sacra iura sequuntur,
 Recto teq; colunt animo, studioq; fidelj.
 Utq; SENATORES Regni, Patresq; vocatj
 Consilijs valeant rectis, & cordibus æquis,
 Irradia mentes illorum lumine Verbi
 O DEVS alme, tui, atq; æterni numine Flatus :
 Pace tuere tua Populum : sanctosq; ministros
 Puri Euangelij defende : Scholisq; peritos
 Musarum artifices, Pater, assignare memento.
 Sic tua synceris animis laudabimus acta
 O Pater omnipotens. Et vox quoq; nostra Nepotes
 Erudiet seros, vt te celebrare laborent
 Conatu ardenti, qui Regum maximus es REX,
 Et Dominus summus Dominantum solus & vnus :
 Quo sine, non vllum poterit consistere Regnum,
 Non vlli Reges, hominum non vlla potestas.
 Hunc fidibus cecini lætis & pectore læto
 Cantum, inter socios fidos, niueasq; Camœnas,
 Condecorans gratæ celeberrima sacra diej,
 Quæ data sunt caro, præclara insignia, REGI
 Sceptrum, Ensis, Diadema nitens, Pomumq; refulgens
 Aure

*Auro Arabum puro: quod faustum Numina faxint
Ipsi regnanti REGI, populisq; regendis.*

Quod superest autem, dulces curemus amici,

Officium nostrum: Lex hoc diuina requirit:

Nam quid agant homines, monstrabit quælibet ætas:

Nec potis est vlllo tardari tempore Virtus,

Si modo Naturæ ductum, mentemq; sequaris.

Vota, senum Virtus: Iuuenum laus, ferre labores:

Consilijs, qui sunt mediocri ætate, nitescunt.

At regnare piè, rectè, feliciter: illa est

Maxima magnanimi (mibi credite) gloria REGIS.

Dùm loquimur, canimus, bibimus, dilabitur hora:

Virgine Cœlesti gaudens radiosus Apollo,

Cum sene Falcifero, & cum Marte atq; Arcade vasfro

(Quos Venus attingens Libram, comitatur,) ad vndas

Hesperias tendunt: iamq; illustrare laborant

Antipodum sedes nostrorum. Candida Phœbe

Velleris aurati pecudem tenet, æmula Phœbi

Lumina dans nostris regionibus. aurea tangit,

Iuppiter inuectus post Lunam, Cornua Tauri,

Dans requiem Somni placidam mortalibus agris.

Nunc igitur calamum pono, citharamq; recondo:

Lux etenim studijs, nox est tribuenda quieti.

Approperat Somnus. Nos omnes protegat almi

Dextera fida DEI, Dominiq; suprema potestas.

Humani generis vigilans Seruator Iesu,

DE CORONATIONE.

Protege Danorum REGEM, Regniq; Senatam,
Egregiosq; homines qui nos tutantur & ornant
Integritate sua, nostrasq; iuuare Camoenas
Non dedignantur. Requiesce Thalia : quiesco.

FINIS CARMINIS DESCRIPTI
in honorem Regis Coronati-
ONIS.

SEQUITVR ENCOMION SIVE
laus Potentissimi Regis.

* * *



EN.

ENCOMION
SIVE LAVS POTENTIS-
TISSIMI DANIAE, NORVEGIAE, PO-
PVLORVMQVE BOREALIVM, REGIS.

DOMINI CHRISTIANI
QUARTI:

Autore eodem.
IOANNE SADOLINO.

EXimias animus praesens fert dicere laudes
Christiani Quartj: quem Regem Dania laudat
Armipotens, amploq; nitens Noruegia ductu,
Et variae gentes, quas Menalis afficit vrsa.
CHRISTE iuua, nam tu mihi verus Apollo vocaris:
Tuq; bono REGI cum Iano pacis amico
Attribuis Nomen, CHRISTIANVS vt esse fidelis
Possit, & insigni dominari Pace laboret.
Huic genitor verus, FRIDERICE Secunde, potentj
Regna manu viuens tenuisti Danica: Sed nunc
Astra tenes, postquam tua mens conscendit Olympum,
Corpoream linquens massam & mortalia membra.
Mater ei felix viuut Regina SOPHIA,
Quae veterum veniens generoso sanguine REGVM
Regi coniuncta est FRIDERICO lege iugali,
Et generans Natos pulcros Natasq; decentes,
Insignem meruit laudem Nomenq; perenne.
Talibus exortus genitoribus, aurea sceptrum,
Regius hic Heros suscepit & inchoata Regna.

D 3

Felici

DE LAVDE

Felici moderanda manu, Legumq; vigore,
Æquarum valido, iuxta decreta supremj
Regis qui Cœlam, Terram, Pelagusq; tuetur.

Pax Patri nomen, titulum Sapia Matrij
Contulit eximia: Concordia iunxit vtrunq;
Felici auspicio. Fuit hæc coniunctio Regno
Vtilis, & Populo: nam sæpè subesse videmus
Quandam nominibus vim, quoddam nobile robur.

Vnde fit vt natus tam claro Filius ortu
Pacificus, sapiens, clemens, Christoq; dicatus
Emineat: similes nam fructus quælibet arbor
Edit, quod verum docet experientia: quippè
Quisq; suæ sequitur Naturæ semen, vt aiunt.
Quadam igitur cecinit festiuus Horatius Oda,
Fortibus atq; bonis fortesq; boniq; creantur:
Est in equis patrum virtus, nitidisq; iuuenis,
Nec generant aquilæ vilem pavidamq; columbam.

Hæc ita cum rectæ rationis comprobet vsus,
Esse, quis augurium nostrum reputabit inane?
Nec fieri auspicio CHRISTI quòd REGE creato
CHRISTIANO Quarto Pax & Sapia regnet:
Et Pietatis honos nostro consistat in Orbe?

Quid memorare iuuat magnos ex ordine Reges,
Ex quibus illustrem duxit REX optimus ortum?
Rem referam paucis: Quod erat genitor FRIDERICVS
Quoddq; Auus & Proauus, quod & omnes ordine longo

Illis

Illustres Abauī, atq; Atauī, Tritauīq; potentes
 Terrarum imperio: mihi nunc hoc esse videtur
 CHRISTIANVS Fridericiades, hoc nomine Quartus,
 Moribus, ingenio, fortuna, corpore, voce,
 Et Virtute animi, qua sola vincere cursum
 Mortalis vitæ potis est, & querere famam
 Nominis æternam nitidi, titulosq; perennes,
 Auxiliante DEO. Siquidem DEVS optimus addit
 Regibus hanc laudem, qui sunt pietatis amantes
 Iusticiamq; colunt, & mansuetudine gaudent,
 Non contemnentes rigidi moderamina luris:
 Ius etenim summum sæpè est iniuria summa,
 Prudenti vt dicto monuit veneranda vetustas.
 Est igitur Virtus Regum, qui stemmate fulgent
 Maiorum nitido, Leges & Iura tueri
 Consilijs rectis, & Numina sancta vereri:
 Numina nam si sunt, erit & reuerentia summi
 Numinis. Hinc Regum Maieestas clarior exit,
 Æquaturq; polo celfo, folioq; Deorum
 Fulgenti: Virtus equidem non altiùs ibit.

Iam quia Naturam iuuat ingeniosa Camæna,
 Et decorat stirpem generosam culta Minerua,
 A Patre, REGE pio, Princeps puerilibus annis
 Traditus est doctis monitoribus atq; magistris
 Formandus: Nec enim labor ille fefellit amicos
 Regis honorati: nam Princeps pulcer, & aptus

Inge

Ingenio facili discendis artibus, artes
 Ingenuas didicit, coniungens splendida verba
 Romani eloquij. Nam dicere more Latino
 Purè & prudenter, REGI pulcherrima laus est,
 Nobilibusq; viris, digno qui stemmate florent,
 Et virtute parj. Latiam contemnere linguam
 Barbarares fertur, non vlllo Principe digna.

Doctus, Iöannes Michaëlius, artibus istis
 Aönidum, & celebris venerando dogmate CHRISTI,
 Ista suo studio perfecit, Flammine sancto
 Fortunante operam, Princeps vt floridus esset
 Cognitione DEI, disciplinaq; bonarum
 Rerum, quas homines mortales quærere norunt
 Solerti ingenio, sanaq; indagine mentis.
 Optime vir, meritas tibi dicet DANIA grates,
 Quod iuuenem varia Regem formaueris arte,
 Moribus & puris ornatum feceris, atq;
 Aeternis dignum Musis: qui voce potentj
 Verba diserta sonat, mulcetq; loquendo seueras
 Palladis inuictæ curas, & Regia dicta
 Exprimit argutè synceros inter amicos.
 Quòd si nunc Diuus FRIDERICVS cerneret ipsum
 Eximium Natum tantis Virtutibus auctum:
 O quantum caperet diuino pectore præsens,
 Leticie? verùm iam summo gaudet Olympo
 Infra se positas terras, mare, & omnia cernens,

Vtpote

Vt pote Cœlitibus Diuorum iunctus in aula.
 Nulla ignorabunt tam fortem secula REGEM,
 Tamq̃ pium Dominum: nec enim mors omnia finit.
 Nempè Pater patriæ (dum vixit) floruit vsq̃
 Integer & clemens Pacem veneratus: at hoste
 Insultante, stetit rigidus fulgentibus armis
 Intrepide assumtis, ad castra forumq̃, paratus
 Fortunæ iuxta cursum, decretaq̃ Diuûm.
 Parce, precor, lacrymas defuncto fundere REGI,
 Quisquis adhuc tepido refoues sub corde dolorem
 Ob Regem amissum. Verum tibi, quippè, fatebor:
 Iam caro & ossa iacent operoso tecta Sepulcro:
 Libera mens fruitur Cœlo, superumq̃ fauore:
 Immensum volitat sublimis Fama per Orbem
 Diuini amplificans titulos & nomina REGIS.

Gratia CHRISTE tibi: summo te nempè datore
 CHRISTIANVS Fridericiades viuente Parente
 REX nouus Electus, Patria iam sede potitus
 In folio Regni magna cum laude nitescit.
 Magnanimi circa Proceres, Patresq̃, verendj,
 Atq̃ Equites fulgent, doctorum atq̃ ordo virorum,
 Et Ciues, pariterq̃ omnes qui Iure fruuntur
 Urbibus & Pagis concessis. Dulcis amœnos
 Pax flores spargit. resonat speciosa Thalia
 Omnibus in Triuijs, & honesto Musica cultu
 Insurgens miris concentibus æthera replet.

E

Matro:

Matronæ eximie passim, bellæq; puella,
 Et nitidæ Nymphæ iuuenum cum flore bonorum,
 Excercere choros gaudent, & membra mouere
 Festiuo plausu. Nec desunt vina, dapesq;
 Ordine dispositis mensis ac arte paratis.
 Se cuncti exhilarant, nec cuiquam dulcia desunt
 Gaudia: nam quiuis lætatur nomine REGIS,
 A Patre diuino qui sceptrâ relicta capeffit.

Laus tibi magne Deus, tu Regibus addis honorem,
 Tu Reges seruas, tu Regia corda gubernas.
 Iamq; nouum Regem CHRISTIANVM lumine claræ
 Fortunæ decoras, & ei coniungis amicos
 Reges & Dominos Terrarum: tuq; potentem
 Ipsum constituis: nec opes, nec gloria, nec res
 Vlla externa (ipsi quæ commoda) deficit vnquam.

Quid res externas adeò memorabimus? ecce
 Corpore formoso splendet pulcerrimus inter
 Illustres Dominos regnantes Regius Heros
 CHRISTIANUS Quartus. Christo Duce, tanta venustas,
 Tantum oris decus eximij, tam læta figura
 Frontis honoratæ, tam prorsus viuida forma
 In vultu atq; oculis, & in ipso pectore, & omni
 Corporis aspectu REGI datur. Hac ego parte
 Praxiteles fieri cuperem atq; peritus Apelles,
 Principis vt tanti diuina niteret imago
 Arte mea: sed quis diuinum munus ad vnguem?

Sat

Sat dignè exornare potest? non omnibus vnum
 Ingenium, non mens vna est concessa Deorum
 Munere. Doctrinam nouit quam quisq;, sequatur,
 Ne, veluti Phaëton, temerè sua robora frangat:
 Quod multi faciunt hoc nostro tempore stultj,
 Qui maiora suis attentant viribus: at me
 Non ea cura premit. Verùm vos pergitte Musæ
 Principis ornati latè diffundere laudes.
 Ille suæ genti non vno nomine carus
 Existit: verùm & peregrinis vrbibus atq;
 Gentibus externis, morum ratione, probatur.

Quare Teutonice gentis cùm cerneret vrbes
 Regius hic Heros, Procerum comitante caterua
 Nobilium, celebres sibi conciliauit amicos
 Nomine Virtutis. Iuuenem gens extera REGEM,
 Mirata est digno præstantem corpore, quanquam
 Vitæ duntaxat ter sex compleuerat annos
 Tempore tunc isto: siquidem nitet ille statura
 Insigni, & miro membrorum robore pollet,
 Luminibus pulcris fulgens, ac ore venusto.
 Tantum robur habet formarum læta figura,
 Et simul excellens præclari gratia vultus.

Nec miror forma REGEM præstare potentj:
 Nam formosus erat Genitor, formosaq; Mater,
 Ambo DEO cari, cari mortalibus ambo:
 A quibus exortus REX hic, Virtutis honorem

DE LAVDE

Moribus ostendit generosis, atq; modesto
Alloquio, & doctæ dulci moderamine lingua.

DANIA iam gaude: celeberrima Dania gaude:
Dania gaude inquam, diuino munere felix:
Munus nosce DEI mirandum. nam quid amico
Principe contingit melius? quid maius habetur
REGE bono? clarus qui corpore, clarus & alta
Mente potest alios inter consistere Mundj
Reges, & valida vires ostendere dextra
Aduersus reprobos: Ciuesq; in pace tuerj,
Qui patrias adamant leges, & Numen honorant.

Sic decorat fortem membrorum nobile robur,
Inuictiq; animi laudanda audacia REGEM.
Et venit ex alto decus istud amabile Cælo:
Vtq; ego simpliciter, quæ pectore sentio, dicam,
Corporis & mentis vires sunt dona Deorum.

Ergò vbi pomposo certamina ludicra Circo
Instituunt Equites, diuersaq; prælia ludunt
Hastis & gladijs, Danorum more vetusto:
Tunc REX ante alios vibrat fortissimus hastam
Concursu celeri volitans, ceu missa sagitta,
Collaq; flectit equi spumantis, victor alacrj
Conatu insurgens: plausum dat læta iuuentus:
Tollitur ad nubes sonitus clangore tubarum
Ardius, ac animos cunctorum gaudia replent.
Ipsa suum Regina videt celeberrima Natum,

Aspia

Aspiciuntq; Duces Virtutem REGIS, & arma
 Digna admirantur: REGEM plebs omnis honorat:
 Pennis Fama volat niueis præclara per vrbes
 Multas: Quis tantam potis est depingere pompam?
 Ergò nouans ludos festiuos Regius Heros,
 Fulmineis splendens armis & robore clarus
 In se cunctorum vultus ac lumina vertit
 Nobilium, & populi turmas spectantis equestres.
 Mirantur Dryades REGEM, pictæq; Napææ,
 Mirantur plenum iuuenili in corpore robur,
 Atq; volubilibus patefactam motibus artem.

Sic Princeps nuper visus residere Camœnas
 Inter honoratas, iam demùm Marte potentj
 Fortis Eques factus, fortissima pectora prodit
 Lusibus in primis, tandem vt maiora capebat
 Arma, quibus reprimat toruos, non segniter, hostes.

Nec malè coniuncta est rigido Sapientia bello:
 Bellum etenim sapiens Pallas moderatur, & artes
 Aonias. Dea docta fouet (quis nescit?) amicos
 Fontis Apollinei nitidos: eadem Ægide sumta
 Terribilem sese præstat cùm postulat vsus.
 Olaudandi animi REGEM, qui iungit vtrang
 Artem sollicito studio: nam bellica nosse
 Ritè sequi documenta iuuat, prodestq; tenere
 Artes ingenuas, monumentaq; docta virorum
 Voluere, quos ornat Phœbus, quos diua Minerva.

DE LAVDE

Reddidit illustres facundæ munere linguæ.
Lectio librorum siquidem bona plurima præstat:
Nam quod non audent capti formidine magnis
Regibus imbelles homines exponere verbis,
Hoc equidem libri audaces & scripta diserta
Ostendunt summa cum libertate, nec vlllo
Vllius aspectu terretur littera picta.
Scriptorum, quibus est cordi sapientia vera,
Curaq; magnanimos proceres populosq; monendj
De rebus memorabilibus, de rebus honestis,
Nec non vtilibus regnis & Regibus ipsis.

Quid? quòd & Historias veteresq; novasq; fidelj
Euoluat studio REX noster? maxima certè
Vtilitas fluit inde bonis lectoribus. an non
Nascitur ex isto prudentia digna labore
Mentibus humanis? Nec sanos arbitror istos,
Qui res maiorum gestas cognoscere nolunt
Docta disertorum spernentes scripta virorum,
Quos aut prisca ætas, aut nostrum protulit æuum.

Quantò autem melius legere, atq; exempla notare,
Et documenta animo miranda reponere firmo,
Vt nitidas gemmas rutilans & condimus aurum
Scriniolis loculisq; suis: nam gloria tanta
Regibus exortum REGEM decet, euehit, ornat.

O decus ò nostri laus ornatissima Regni,
O Regum lumen REX, ò mitissime Princeps,

Te

Te reputo meritò laudandum tempore quouis,
 Quolibet & populo: nam te Natura creauit
 Formosum atq; bonum: Formoso in corpore Virtus
 Clarior effulget, maioreq; luce notatur.

Magna equidem sunt hæc, sed sunt maiora canenda:
 Floribus æternis nam REX decoratus amicus,
 Ingenij atq; animi bona monstrat, laude perennj
 Dignus: at è multis donis ego paucula dicam.

Regius in primis animus refouetur amore
 Dogmatis ætheri: regnatq; in corde potenti
 REGIS honorati, Pietasq; fidesq; probata
 CHRISTO, qui nostræ fertur spes vnica vitæ.
 Nixa fides CHRISTO, nutrix generosa putatur
 Virtutum cunctarum animi, materq; fidelis:
 Nam, si vera loquar, nitidis vt nobilis arbor
 Fructibus excellit quibus inçlyta pectora gaudent:
 Sic, vbi vera fides, vera & fiducia cordis
 In CHRISTVM, Dominum, Seruatorem atq; patronum:
 Existit, non hîc desunt nitidissima sanctæ
 Lumina Virtutis. radios & sicut amœnos
 Exoriens Titan spargit, tenebrisq; repulsis
 Eminent in Cælo puro, mortalibus ipsis
 Læticiam præbens: fidei sic diua venustas
 Splendida natiuæ probitatis lumina fundit,
 Quæ res grata DEO est, animis & grata benignis.

REX

REX ergò ante alios Christum colit, atq; potentem
 Cunctis in rebus Dominum, Regemq; fatetur:
 A quo consilium rectum datur omnibus illis,
 Qui sunt Iusticiæ, qui Relligionis amantes.
 Nam sine præsidio CHRISTI non robur & arma
 Dura valent, nec opes Mundi, nec splendor honorum.
 Impietas etenim tenues vanescit in auras.

Regi igitur curæ & cordi est Ecclesia CHRISTI
 Sancta, virosq; fouet doctos, qui dogmata tradunt
 Pura Euangely in templis, domibusq;, Scholisq;:
 Inq; Academijs Doctores atq; Magistros
 Insignes alit, & Regali munere ditans
 Ornatos reddit, qui doctis artibus ipsi
 Erudiant iuuenes, & honestis moribus auctos
 Præficient populis de relligione docendis.

Nota etiam cunctis nostri clementia REGIS
 Regibus Europæ colitur: nam tristis egestas
 Ne premat imbelles homines, miseramq; cateruam
 Subiectæ plebis, fuluo non parcitur auro,
 Non argento opibusve alijs: non esca negatur
 Pauperibus. pleno diffundit Copia cornu.
 Omnia quæ turbam possunt recreare iacentem.
 Tanta equidem est pietas diuini Principis erga
 Mortales, quos afflictos cognouerit esse
 Fortune imperio rigida, casuq; grauatos
 Fatali: quis enim felix est omnibus horis?

*Dij siquidem nunc hos, nunc illos sede repellunt,
Nec stabile est quicquam quod continet ambitus Orbis,
Excepta pietate DEL, Legumq; vigore
Æquarum, quæ Iusticiæ sunt nobile donum.*

*Quod bonus hic noster REX vt monstraret aperto
Exemplo, in patriam transponi Danica linguam
Iura lubens fecit: quibus addidit æqua statuta
Tradita vulgari sermone, vt cognita cunctis
Illa forent populis, nec quenquam falleret error
Ignotæ legis: namq; ignorantia legum
Sapè probos homines in magna pericula ducit.*

*REX animose vige, multosq; nitesce per annos
Integer & saluus: tu lumen amabile Regni,
CHRISTVM & iusticiam Christi, legumq; vigorem
Sanctarum colis, & populos moderamine dulci
Custodis. Te REGE nitent Pietatis honores
Virtutumq; decus cunctarum. Sceptra tuere
Regia: sublimi felix procede Corona
Quam manus artificis gemmis destinxit & auro:
Sit latus Ense tuum munitum more vetusto
Regum antiquorum, quos vexit ad æthera Virtus:
Tum demùm puro rutilans tibi Sphæra metallo
Fulgeat. Ipse DEVS te miti numine seruet,
Qui Cælum, terram, mare, & omnia condidit vnus,
Quæ pelago atq; solo, vastoq; tenentur Olympo,
Vt pote perpetuus DOMINVS, Princepsq; perennis*

F

Spiri

DE LAVDE

*Spirituum ac hominum : cui sit laus omne per ævum
Dulci cum Genito, simul & cum Flamine sancto,
Vni, immortal, trina sub imagine, REGI:
Regum & Regnorum qui tutor habetur amicus.
Tanta DE est bonitas, tanta est diuina potestas.*

*Sic ego cantavi laudes, hoc tempore, REGIS
CHRISTIANI Quarti, quo non est dignior alter
Nostro æuo, nec erit reliquis, fortassis, in annis.
Cætera maiori sunt nobis voce canenda,
Grata DEVS nostris si fecerit ocia Musis,
Nec mihi fortunam meliorem fata negarint
Inuida. Sed rigidis opponere prouida Fatis
Corda decet : siquidem non est victoria maior.*

FINIS.



DE

DE SPECTACVLIS
 QVIBVSDAM EXHIBI-
 TIS IN APPARATV REGIÆ
 CORONATIONIS, ELEGIÆ
 TRES,



Autore eodem

IOANNE SADOLINO.

ELEGIA PRIMA.

REX vbi Regnorum sanctas suscepit habenas
 Decretoq̄ hominum praesidioq̄ DEL:
 Se pariter cuncti dapibusq̄, meroq̄, fouebant,
 Optantes REGI prospera quæq̄ nouo.

Lux ea colloquijs abiit, fidiumq̄ canoro
 Concertu, & Thymeles dulcibus harmonijs.

Exortis autem tenebris, & vespere facto,
 Obscuræ noctis quandò agerentur equj:
 Aeris in tractum flammantia spectra volabant,
 Artificum doctæ quæ genuere manus.

Ignes ardentes structi euomuere dracones,
 Qui rupti parua disiliere mora
 Materies isthæc perijt, fumumq̄ relictum
 Lenis discussit ventus, & aura leuis.

Talia plebeia data sunt spectacula turbæ:
 Spectabant docti sydera clara virj.

F 2

Nescio

ELEGIA

Nescio quam flammam, monstravit Mænalis vrsa,
 Siue ea stella fuit, siue Cometa fuit.
 Quicquid erat, paucas post noctes desijt esse.
 Nec porrò est oculis lux ea visa meis.
 Summe DEVS (dixi) REGEM Regnumq; tuere:
 Pestem, bella, famem, cunctaq; pelle mala.
 Seditio cedat, vigeat Concordia leta:
 Cordibus in cunctis sit Pietatis amor:
 Vos autem florete Duces, florete ministri:
 Floreat Aonijs turba nouena Chorj.
 Vnanimi voto dulces viuamus amicj,
 Et commendemus fata seuera DEO.
 Nunc dulcis veniat somnus: decedite curæ:
 Nam requiem gratam corpora fessa volunt.

ELEGIA SECVNDA:

Bla age: nox abiit: studium repetamus amicum:
 Quid rerum geritur, dic mihi Calliope.
 Sole micante color cum rebus redditus esset,
 Ludicra Regales signa dedere tubæ.
 Accincti Heroës cætum glomerantur in vnum,
 Præclarorum equitum concomitante manu.
 Se generosi homines vertunt in mille figuras:
 Arte sua Proteus quilibet esse studet.
 Nunc ferro armati certamina ludicra tentant:
 Et velut in pugnam, non sine laude, ruunt.

Hinc:

Hinc Equites longis concurrunt fortiter hastis :
 Iacta volant medio frustula fracta foro :
 Hastas infregit non paucas Regius Heros,
 Fortibus occurrens fortior ipse viris.
 Nunc iterum pietis equitantes vestibus, hasta
 Exceptum Cyclum posse tenere parant.
 Quidam se simulant ornatu & veste Polonos,
 Se Turcas alij, pennigerosq; Getas.
 Sunt quoq; qui pansis alis volitare videntur,
 Altum sectantes Bellerophontis iter.
 Et veteres Romæ dominos spectare licebit :
 Personis fictis gratia tanta nitet.
 Pontificem Latium nostra quoq; vidimus vrbe,
 Et Monachos crassos, Cardineosq; Patres.
 Dulcia festivo fluxerunt gaudia risu :
 Detenta est multis vrbs populosa iocis.
 Singula quis pandet ? quaedam tamen edere fas est :
 Ante oculos isthæc nam stat Imago meos.
 Auro Dalmatico, preciosis deniq; gemmis,
 Fulgent Heroës magnanimiq; Duces.
 Argento ornatos, & plumis, cerno caballos :
 Cerno equites Latijs regibus arte pares.
 Sistra sonant, resonantq; tubæ, dant tympana pulsa
 Multiplicem strepitum, mirificosq; modos.
 Insequitur Phæbus rutilans, & lucida Phæbe,
 Et Musæ, & Charites, cordeq; letus HONOR.

F 3

Mox

ELEGIA

Mox vehitur grandi, ridenda Superbia, plaustro,
 Cinctaq; vipereis anguibus Inuidia.
 Ira, furor, cædes, curru dominantur eodem,
 Et magnum tumidi ventris Iacchus onus.
 Mons erat in medio, tenuit quem fulgida Virtus,
 Quæ niueo æternas pectore promisit opes.
 Vno quis plaustro tot Phasmata posse teneri,
 Crederet, & montis pondera tanta vehj?
 Radicem ad montis Vitiorum est visa caterua:
 In summo Virtus vertice montis erat.
 Istud post plaustrum Venus iuit, Amorq; pusillus
 Excutiens arcu feruida tela suo.
 Iuit & Idaliæ Diuæ deuincta propago,
 Atq; Epicurei grande catharma gregis.
 Ludas exhibuit diuersos Comica Musa:
 Tam celebris tota plausus in vrbe fuit.
 Omnia quis referat passim spectacula visa,
 Hafnia vicino quâ nitet ampla freto?
 Sed tamen hæc prodest è multis pauca notasse:
 Nam locus & tempus pandere cuncta vetat.

ELEGIA TERTIA.

Litera iam redeunt spectacula: noscite Cives,
 Quanta noui REGIS gloria, quantus honos.
 Ex varijs Regnis, varijs ex vrbibus adsunt
 Legati, Proceres, conspicuiq; Duces.

Ordine

Ordine procedunt Equites prædiuite cultu
 Conspicui: Soles hæc radiare putes.
 Tales ornatus nostro non vidimus æuo,
 Nec visos priscis patribus esse reor,
 Quæ vis armorum? quæ copia pulcra virorum?
 Quam dant harmoniam tympana, sistræ, tubæ?
 Arte sua tantam qui nôrit pingere pompam,
 Hic animo & digitis ingeniosus erit.
 Vatibus antiquis doctus laudatur Apelles:
 Exprimeret facillè non tamen istud opus.
 Exprimeret forsàn partem vnâ: singula membra
 Totius historiæ non tamen ille daret.
 Curribus inuecti factis venère Sabæj,
 Atq; aliter factis curribus Æthiopes.
 Thure, auro, myrrha plenissima vasa dabantur:
 Præbebat radios aurea Stella suos.
 Mons Veneris visus miranda mole mouerj:
 Intus erant Nymphæ, Musica, Cypris, Amor.
 Iuerunt mediâ Naues & vela per urbem:
 Monstrasti siccos, Ennosigæe, pedes.
 O quanto ingenio iuuenum pomposa corona
 Ludos fingebat, ridiculosq; iocos.
 Plaustra trahebantur niueis sublimia Cygnis:
 Inuectæ Nymphæ cantica leta dabant.
 Ornati circà Procères, Equitesq; nitebant:
 Exhibuit varios vrbs populosa Choros.

Pluria

ELEGIÆ

Plurima præterea generosi in Regis honorem
Admirabilibus facta fuere modis.

Quæ nunc prætereo prudens, ea singula pandam,
Otia si studijs REX dabit ipse meis.

Tunc & plura, DEI bonitate, Poëmata promam,
Quæ nunc in tenebris puluerulenta iacent.

Iam diadema tibi qui dat, sceptrumq; decorum,
Et gladium, & Regnum, REX animose, DEVS

Idem te faciat multos florere per annos,
Æterno vt CHRISTI numine tutus agas.

Vera sacer carpat, sancto te REGE, Senatus
Gaudia, gensq; potens, Pieridumq; Chorus.

Regibus exemplo sis cunctis: & tua facta
Venturæ semen posteritatis amet.


Quæ tibi iungetur thalamo Regina beato,
Hanc dignè ornabunt Iuno, Minerva, Venus.

Sic tua Maiestas pleno Virtutis honore
Fulgida complebit Solis vtrinq; domum.

Vatibus Ebraeis cantaberis, atq; Latinis:
Nomen & extollet Græca Thalia tuum.

Ingenij si quid mihi dat Natura, DEVSQVE,
O REX, te promptus voce sonabo mea.

Me tua duntaxat commendet Regia Virtus:
Nempè tuo Imperio subdita Musa mea est.



AD

AD DEVM OPT: MAX: VOTVM
ex Psalmo Davidis XX. Pro felici inchyti
Regis & bonorum Principum successu
& gubernatione.

* * *




Ollicitæ quando tua cingent pectora cura,
Ac dura Sors cum te premet:
Aure tuam vocem facili DEVS hauriat, oro:
Et te sua tegat manu.
Numine qui celso regit astra, solumq; fretumq;
Opem tibi ferat suam:
Præsidiumq; lubens præstet de monte Sione,
Promatq; digna munera.
Suscipiat promptus tua dona: nec improbet abs te
Aris locatam victimam.
Det tibi quod gratum est: tribuat quodcumq; requiris:
Et cepta fortunet tua.
Te florente statu recto, gaudebimus omnes:
DEO QVE agemus gratias.
Irrita non fient tua candida vota, nec vnquam
Vana preces erunt tuae.
Mens etenim manifesta DEI: nam blandus adesse
Hic Regibus solet pijs.
Aures hic adhibet clamantibus: atq; rogantes
Sua iuuat potentia.
Curribus insurgunt isti, rapidisq; caballis:
Nos nitimur summo DEO.

G

In

In Barathrum vastum feruens furor incitat istos:
En, REGE nos stamus DEO.
Ergò DEVS, nostrum deinceps defendito REGEM:
Eiusq; conatum iuuat.
REX verò adiutus, Dominum veneretur Olympi:
Suosq; curet subditos.

AD CANDIDVM
Lectorem.

 I mea non cunctj collaudant carmina. ciues,
Cor minimè crucio, lector amice, meum.
Sufficit à paucis doctisq; bonisq; probari:
Omnibus ex aequo non placet ipse DEVS.
Optimus est equidem thesaurus, fidus amicus:
Fida sed haud passim crescit amicitia.
Non tamen interea Virtus occumbere debet,
Sive ferenda fames, sive ferenda sitis.
Si mihi mille forent, vno sub REGE, Patronj:
Primus in hoc numero FRISIVS ipse foret.
REX vnus, sapiens, clemens: Patronus & vnus,
Integer & constans, Numinis instar erunt.
Nec reliquos ideo spernendos duco Potentes:
Nam suus est cuiusvis attribuendus honor.

FINIS CARMINVM
Ioannis Sadolini.



AD

AD ILLVSTRISSIMVM
POTENTISSIMVM QVE DANIAE,
NORVEGIAE ET SEPTENTRIONIS
REGEM: D. CHRISTIANVM
QVARTVM:

Elegia gratulatoria

THEOPHILI SADOLINI.

Magnanimos inter Reges, REX optime, salve,
Nomina qui Christo sceptraq; dante geris.
Quamvis attrita, veniens mea Musa, lacerna
Regia non solito limina more petit:

Attamen asueto candore notabilis, ipsam
Respice, ne flexo poplite, mæsta cadat.
Argutis placido Nymphis devinctus amore,
Non sacra Musarum despicienda putas.
Quare Pieria, fautor generose, catervæ
Carmina Phœbeæ, suscipe pauca, Chelys.
Ingenij fateor, parva est fiducia, nostrj,
Exilis nostræ est arsq; vigorq; tyra:
Sed timidæ menti, placidi clementia REGIS
Depellendo metum, robora restituit.
Qui fers, dante DEO, iucundum & amabile nomen,
Mansueti pandis pectoris iudicium
Felicis decorant Abav;te nomina pulcra,
Te decorant sancti nomen & omen Avj:

G 2

Immò

ELEGIA

Immò te decorant sanctissima nomina CHRISTI,
 Cujus inexhausto munere, cuncta fluunt
 Hujus ab auspicio, REX ò, tua gloria crescat,
 Vt teneas forti, scepra decora, manu.
 Majestas vigeat tua latè: hanc secula cuncta
 Mirentur, donec vesper & ortus erunt.
 Luce tuæ latum Virtutis adimpleat Orbem
 Iusticia, & sanctæ Religionis amor.
 Quid memorem nitidæ doctrinæ grandia dona,
 Egregiâ cuius dexteritate vales?
 Rarum quippè bonum, sed tanto Principe dignum,
 Artibus instructum pectus habere bonis.
 En, post fata manet Virtus, Virtutis & acta:
 Res autem vanas excutit una dies.
 Solers, qui Clarias animo complecteris artes,
 Et sacra Castaly Numina fontis amas:
 Ter meritò felix, ò REX censebere; Virtus
 Quem decorat veris, pulcra potensq̃, bonis.
 Divitias veras tribuit Sapiencia: dives
 Quem juvat & Pietas & veneranda fides
 Pectoris jccircò niuej paradigmata monstras,
 Mensq̃ tua est dignis officiosa viris.
 Felix est populus: sunt subdita Regna beata,
 Sub talj, quibus est, Rege, vigere datum.
 Grata dies hæc est, voto exoptata frequentj,
 Quâ sedem scandit Filius ipse Patris.

Majo^a

Majorum sequeris celsas, REX magne, tuorum
 Virtutes, animi, signa probanda, boni.
 Augustas patrij Regni moderaris habenas,
 Recto Consilio, Iudicioq; pio.
 Sectando sancti vestigia sancta Parentis,
 Illustras solum prouidus usque tuum.
 Afflictos blandis clemens amplecteris ulnis:
 Tristibus & miseris, mitis adesse soles.
 Infestant siquidem rerum discrimina multos,
 Ceu vita est varijs nostra referta malis.
 Nunc ridet blando fortuna optabilis ore:
 Nunc alio rursus tempore, torva venit.
 Sed felix quem non premit indignatio Fatj:
 Ecquis erit, cui non Sors inimica fuit?
 Non ita deposito letatur Nauta dolore,
 Naufragij diras cum superarit aquas;
 Quam nec opinato, qui magna pericula vitat,
 Quem premit aspectu Sors violenta gravi.
 Exemptus siquidem curis, luctuq; molesto,
 Insperata sibi gaudia leta capit.
 Cum furor & rapidi maris inclementia cessat,
 Optatus portus, lenis & aura placet:
 Sic mæstos mitis relevas; vultuq; sereno
 Aspicias; auxilio, consilioq; fovés.
 Ergo te floret Respublica REGE: clientes
 Legibus exultant, imperioq; tuo.

ELEGIA GRATV.

Gratus es Ordinibus cunctis: Nam diligis omnes,
Qui Patriæ amplificanti commoda grata suæ.
Phæbeios decoras vates: te Principe multum
Letatur Musis, turba dicata, sacris.
Et tua Majestas Sadolinum clara Poëtam
(Qui meus est genitor) condecorare solet:
Alloquijs ipsum lætis, donisq; per amplis
Sæpius exornas; munificusq; juvas.
Quocirca REGEM meritis extollit & ornat
Laudibus: & Patriam concelebrare studet.
Hoc meritò facerent omnes, quibus aurea Pallas
Est cordj; quibus & bella Thalia placet.
Regia laurigeras commendat gratia Musas:
Musica Regali turba favore viget.
REGIS magnanimi cantant præconia Musæ:
Musarum studijs Regia fama nitet.
Æthere dum volucres gaudent, & in æquore pisces:
Donec in Hyblæo monte foventur apes:
Laus tua semper erit fulgens, clarissime Regum:
Nec decus evertet vis violenta tuum.
Me tua Majestas amet imperiosa, meosq;
Florida placato stent tua Regna DEO.




H A F N I Æ
Impressit Laurentius
Benedictus:


AUXILIANTE
DEO.


A N N O

M. D. XCVII.
Mense Aprilj.









2161.